



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Bibliotheca Rhetorum**

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et  
Oratiunculae

**Le Jay, Gabriel François**

**Ingolstadij, 1726**

Filius Parenti Amantissimo Calendis Januarijs recurrentibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

gas quamprimùm, & malè jam cohærentem gratiam revincias sedulò ac consuas. Non sunt illi, ut reris, tam avara Numina, aut suis rebus tam attenta. Imò senties, quanto libentiùs suas illis opes largiantur, quòrum animus vacat eâ sollicitudine, quam divitiæ pariunt. Utinam ego, Fili amantissime, tam ingeniosus olim atque industrius extitissem, quàm esse te revera mihi gratulor. Quàm facilè caruissem illis adminiculis, quibus puerorum vulgus indiget! Valeant illi, qui, nisi numulis abundant, oblectare animum vix nòrunt. Tibi tam faceto naturâ tuâ, tam hilari, tam callido, quid deesse possit, quod in te uno non habeas? Cæterùm amo in te plurimùm studium illud, quod præ te fers, implendi diligenter singulas officii tui partes, neque te laudare satis possum, quem tam obsequentem, tam docilem, tam cereum experior. At sentirem de te parùm honorificè, nisi te unius gloriæ desiderio ad optima quæque inflammatum arbitrarer. Fruere ergo laude illâ, & in patris benevolentia conquiesce.

---

FILIUS PARENTI  
AMANTISSIMO.

*Calendis Januariis recurrentibus.*

Officiosa.

**E**st hæc recepta jam diù laudabilis ubique consuetudo, ut redeuntibus anni cujusque primordiis liberi fausta omnia Parentibus apprecentur. Hunc ego morem ita teneo,

N S

Pates

Pater colendissime, ut non tam ille me, quam singularis quædam in parentem amantissimum pietas atque observantia officii mei admoneat. Sentio enimverò multò meliùs, quam eloqui possim, quantum tibi debeam pro liberali illâ, quam tam sedulò mihi provides, educatione; & quò fit major annorum accessio, eò majus intelligo requiri à me grati ac memoris animi monumentum. Tamen quid ego tibi pro tuâ charitate voveam ac precer, Pater amantissime? Neque enim aut novas opes aut honores novos animus est tibi postulare; erit hic Superis labor, ea sollicitudo, ne sua probitati virtutique præmia defuerint; & quem tot suis ad hoc usque tempus muneribus cumulârunt, in eodem deinceps magis ac magis exornando beneficia tuebuntur sua, & perpetuitatem adjicient. Est aliquid aliud, mi Pater; quod esse tibi noverim antiquius, & quod in aliquâ filii tui facultate positum videri possit. Scio quantopere desideres, quod & ipse significasti mihi non semel, promoveri in me feliciter institutionem bonam, quam impertis, & piam, quam pro me geris, solitudinem suo fructu non carere. Miserum me! nisi hac saltem parte conspirare tecum videar, enitârque viriliter, ne te impensè olim in educando filio laboris & amoris pœniteat. Ita spondeo, mi Pater; neque perfidum vereor dicere Sacramentum. Quantum erit in me facultatis & industriæ, sic apponam lucro, sic insistam vestigiis, quæ contrivisti ipse tantâ cum laude, ut, cum ætas creverit, non ita degener à paternâ virtute videri possim. Vale.